

die barbae latioris & rusticæ instar dilatata', altero vero longius & capite pyramidaliter ad 10 ferè gradus protensa in locum Soli oppositum, quam tamen progressu temporis sensim ac sensim contrahebat Cometa, ita ut 12 post primam apparitionem die, cincinnis tantum brevioribus undiquaq; circumfusis, absq; appendice nudus apparuerit. Movebatur, quod palmarium est, non solum motu cum reliquis stellis communi, sed & proprio, à meridie in septentrionem, in æquali tamen velocitate, tardius ut solent circa finem, quam circa principium.

### CAPUT III. DE ORTU COMETÆ.

**Q**uod ortum ejus concernit, & primam ut ita dicam Nativitatem, equidem ejus certum & verum sive cœli sive temporis punctum dicere nequeo, nec forsitan ullus in hac nostrâ latitudine septentrionali poterit, ut postea patebit. Apparitionis autem mihi tum temporis Lipsiæ commoranti factæ principium, dies sibi vendicat 9 DECEMBERIS, quo die, cum vespertino tempore post Solis occasum stellas in Cœlo disseminatas oculari inspectione dignoscendas Dominis Auditoribus meis, quos tum in Astronomico Collegio habebam, proponerem, Cometa h̄ic primum sese mihi conspiciendum præbuit, radiis longè latēq; diffusis oculos stellas ortivas perlustraturos ad se quasi rapiens, suoq; lumine albicante replens. An eodem die primum in cœlo genitus aut accensus fuerit incertum est. Hoc tamen ex ratione motus, quo circa tempus illud progressus est Cometa, certum omnino videtur, biduo ante meam hanc observationem in nostro quidem Horizonte, vix à quoquam observari potuisse Cometam, eò quod tūm temporis 20 gradibus ad minimum meridionalior infra terram totā die delituisse, aut saltem Horizontem nostrum leviter strinxisset, ut vel maximè in cœlo extitisset. Pridiè ejus diei, quo primum nobis apparuit, Horizontem nostrum orientando simul ac occidendo, licet arcu minore, transire nobisq; circa medianam noctem apparere potuisset, si jam actu extra causas fuisse; sed cœlum nubibus obductum prohibuit aspectum. Proinde, quam certi quid de primo accensionis momento afferam,